An. et vol. XXXXI 25 Februarii 1949 (Ser. II, v. XVI) – N. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Sacrum Consistorium, p. 41 – Litterae Decretales, p. 45 – Adhortatio Apostolica, p. 58 – Constitutio Apostolica, p. 62 – Epistulae, p. 64 – Allocutiones, p. 73 – Nuntius radiophonicus, p. 76.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis:* I. Declaratio, p. 80; II. Provisio Ecclesiarum, p. 81 – *S. C. de Propaganda Fide:* Decretum, p. 82 – *S. C. Rituum:* Decretum, p. 82.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine – Necrologio, pp. 84-88.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 seu $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 seu $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 2 - 25 Februarii 1949)

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

CONSISTORIUM SECRETUM

(*die 14 Februarii 1949*)

PAG.

Allocutio Summi Pontificis. - 14 Februarii 1949 41

LITTERAE DECRETALES

B. Bernardino Realino C., Sacerdoti professo Societatis Iesu, Sanctorum honores decernuntur. - 22 Iunii 1947 . 45

ADHORTATIO APOSTOLICA

Ad universos Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de Missa votiva celebranda in osorum Dei criminis expiationem. - 11 Februarii 1949 58

CONSTITUTIO APOSTOLICA

Bombayensis (Karachiensis). - Ab Archidioecesi Bombayensi territorii pars seiungitur et nova exinde erigitur Dioecesis, nomine « Karachiensis ». - 20 Maii 1948 62

EPISTULAE

I. *Quemadmodum.* - Ad Revmum P. Clementem a Milwaukee, Ordinis Franciscalium Capulatorum Ministrum Generalem: de apostolatu ab eodem Ordine provehendo. - 4 Decembris 1948 64

II. *Praenobile templum.* - Ad Emum P. D. Theodorum tit. Sancti Chrysogoni S. R. E. Presbyterum Card. Innitzer, Archiepiscopum Vindobonensem eumdemque Administratorem Apostolicum de Burgenland: ob S. Stephani Vindobonae cathedrale templum cultui restitutum. - 8 Decembris 1948 . 67

III. *Agnovimus perlibenter.* - Ad Revmum D. Laurentium Perosi, Antistitem Urbanum, quinquagesimum annum magisterii Chori Xystini a Summo Pontifice Leone XIII eidem crediti expleturum. - 15 Decembris 1948 . . . 68

IV. *In fratres caritas.* - Ad Excmum P. D. Ioannem T. Mc Nicholas, Archiepiscopum Cincinnatensem ac Praesidem Consilii « National Catholic Welfare Conference »: ob auxilium commigrantibus allisque miseris ab ipso Consilio provide praestitum. - 24 Decembris 1948 69

PAG.

V. *Praeclara.* - Ad Emum P. D. Clementem, Episcopum Velitrnum, S. R. E. Cardinalem Micara, Congregationis Sacrorum Rituum Praefectum, quem Legatum mittit ad Conventum Eucharisticum Bolivarianum in urbe « Cali » Columbianae Reipublicae celebrandum. - 6 Ianuarii 1949 71

ALLOCUTIONES

I. Ad Legatos Nationum communis moeroris sensus Summo Pontifici exprimentes, ob iniquam sententiam in Emum P. D. Cardinalem Iosephum Mindszenty prolatam. - 16 Februarii 1949 73

II. Ad christifideles Urbis in foro Sancti Petri in Vaticano orantes ac sensus devotionis et amoris profitentes veneratissimo Patri, ob insectationes in membra Ecclesiae moerenti. - 20 Februarii 1949 74

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Ad christifideles ob Conventum Eucharisticum Bolivarianum in urbe « Cali » Columbianae Reipublicae coadunatos. - 30 Ianuarii 1949 76

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. Declaratio excommunicationis. - 12 Februarii 1949 80

II. Provisio Ecclesiarum 81

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Magni Namaqualand (Keetmanshoop). - Vicariatus Apostolicus Magni Namaqualand deinceps « de Keetmanshoop » appellabitur. - 13 Ianuarii 1949 . . 82

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Decretum. - De duabus missis in Dominica de Passione hoc anno celebrandis. - 12 Februarii 1949 82

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 84

II. Segreteria di Stato: *Nomine* . . . 85

III. Necrologio 88

An. et vol. XXXXI 25 Februarii 1949 (Ser. II, v. XVI) – N. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

CONSISTORIUM SECRETUM

Feria secunda, die XIV mensis Februarii anno MCMXLIX, in Palatio Apostolico Vaticano habitum est *Consistorium secretum*, in quo haec fuit

ALLOCUTIO SSMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES

In hoc sacrum extra ordinem Consistorium hodierna die vos convocavimus, ut animum Nostrum acerrimo maerore oppletum vobis aperiremus. Cuius quidem maeroris causam putamus facile patere vobis: agitur nempe de gravissimo facinore, quod non modo amplissimum Collegium vestrum, non modo Ecclesiam universam, sed quotquot etiam sunt humanae dignitatis humanaeque libertatis adsertores miserandum in modum offendit. Quamobrem, vixdum novimus Dilectum Filium Nostrum Iosephum S. R. E. Card. Mindszenty, Archiepiscopum Strigoniensem, debita augustae religioni reverentia poshtabita, temerarie fuisse in carcerem coniectum, datis ad Venerabiles Fratres Hungariae Archiepiscopos et Episcopos amantissimis litteris, illatam Ecclesiae iniuriam, ut officii conscientia imperabat Nobis, publice sollemniterque expostulavimus.

Hodie vero dum res eo usque deducta est, ut ad extremum dignissimi huius Praesulis dedecus devenerit, qui quidem ut reprobus in ergastulum datus est, facere non possumus quin sollemnem eiusmodi expostulationem vobis coram iteremus. Ad id Nos movent imprimis sacra religionis iura, quibus adserendis vindicandisque strenuus hic sacrorum Antistes impavido fortique pectore diuturnam dedit operam; ac praeterea unanimus etiam liberarum gentium liberorumque populorum consensus, qui verbsis criptisve, ab iis quoque editis, qui publica auctoritate fruuntur, ac vel ab iis, qui catholicam non amplectuntur fidem, latissime in luce solis patuit.

At non in plena luce solis, ut nostis, huius Praesulis causa peracta fuit, de avita religione de christianisque redintegrandis moribus optime meriti. Notitiae siquidem perlatae sunt, quae initio animos anxietate quadam affecere; qui enim ex exteris Nationibus petiere ut in Hungariam se conferrent, ubi praesentes huius actionis cursum cernere possent, si quovis modo videbantur rem serena mente fore iudicaturi sincereque renuntiaturi, talem tulerunt repulsam, quae in eos non solum, sed in ceteros etiam cordatos rectosque viros opinionem induceret causam Budapestini pertractari, quam qui agerent, timere viderentur ne palam aperteque ab omnibus dignosceretur. At iustitia, quae reapse hoc nomine dignanda sit, non a praeiudicatis opinationibus proficiscitur, non praestituta iam sententia nititur, sed liberam sponte exoptat disceptationem, ac debitam unicuique cogitandi, credendi loquendique facultatem tribuit.

At quamvis res nec tuto cognitae, neque aperto plenoque modo renuntiatae fuerint, putamus tamen mentionem de iudicio praetermittere non posse, quod omnes civili cultu ornati homines hac super causa dedere: praesertim de nimis rapido actionis cursu, qui facile in animos suspicionem induxit; de accusationibus captioso artificio instructis, ac de physica huius Antistitis condicione, quae quidem sine arcanis impulsionibus, quas non fas est declarare, intellegi non potest; quandoquidem vir strenua adhuc fortitudine ex natura suaque vitae actione pollens, tam

debilis ac mente vacillans improviso apparuit, ut eius agendi ratio accusationem non in semetipsum, sed adversus eius accusatores condemnatoresque statuere videretur.

Hisce autem in rebus omnibus hoc unum praeclare patet: in id nempe potissimum iudicialem actionem contendisse ut Catholica Ecclesia in Hungaria perturbaretur, ea nimirum ratione, de qua Sacra Scriptura loquitur: « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis ». [1]

Dum igitur Nos hoc tristissimum eventum dolentes reprobamus ac publicae opinionis ipsiusque historiae tribunali quasi diiudicandum committimus, rem facimus, quam et violata Ecclesiae iura et ipsa humanae personae dignitas omnino postulant.

Ac peculiari modo hoc etiam declarandum putamus, esse nempe omnino a veritate alienum quod in huius actionis decursu asseveratum fuit: hoc est universam causam, de qua actum est, ex eo pendere quod Apostolica haec Sedes, ob politicae in populos dominationis consilia ac nisus, iussa ac mandata ediderit Hungarorum Reipublicae eiusque moderatoribus adversandi; atque adeo rem omnem in eamdem recidere Apostolicam Sedem.

Norunt enim omnes Catholicam Ecclesiam non terrenis rationibus duci, sed quamlibet admittere Civitatis gubernandae formam, dummodo divinis humanisque iuribus non repugnet. Quodsi repugnet, sacrorum Antistites ac christifideles omnes ex sua ipsorum officii conscientia debent iniustis legibus obsistere.

In hisce autem, Venerabiles Fratres, rerum angustiis non defuere Nobis a misericordiarum Patre [2] superna solacia, quae dolorem mitigarent Nostrum. Ea imprimis ex tenaci catholicorum Hungarorum fide profiscuntur, qui quidem, etsi in impeditissimis rebus constituti, quidquid possunt efficiunt, ut avitam religionem tueantur, ac priscos decessorum suorum fastos renovent; itemque ex ea firmissima fiducia, quam paterno fovemus animo, fore ut Hungariae Eiscopi plena semper concordia sollertique opera enitantur Ecclesiae libertatem defendere, chri-

[1] Matth., 26, 31.
[2] Cfr. 2 *Cor.*, 1, 3.

stifidelium unitatem omni ope confirmare, eosdemque in eam spem erigere, quae cum e Caelo oriatur ac divina alatur gratia, nec miseris, nec iniustis huius vitae casibus restingui, vel debilitari potest.

Atque eiusmodi superna solacia ex vobis etiam, Venerabiles Fratres, obvenerunt Nobis; vos enim vidimus, Nobis in hoc rerum discrimine devinctissimos, Nostrum participare maerorem ac Nostris vestras coniungere preces; parique modo ex ceteris quoque totius terrarum orbis Patribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, qui una cum clero et populo cuiusque suo flagrantissimas ad Nos dederunt litteras, vel telegraphicos nuntios, quibus et iniuriae notam Ecclesiae inustam conquerendo reprobarunt, et admovendas Deo privatim, publice supplicationes polliciti sunt.

Id ut omnes facere ne desistant vehementer optamus; quotiescumque enim catholica res tam gravibus iactatur tempestatibus, ut eas humana facultas evincere ac superare nequeat, ad Divinum est Redemptorem fidentibus animis confugiendum, qui unus potest tumescentes sedare fluctus, ac tranquillam reducere serenitatem. Potentissimo igitur interposito Deiparae Virginis patrocinio, a Deo omnes precando contendamus, ut qui insectationes carceres vexationesque patiantur, necessario divinae gratiae rore christianaeque virtutis robore confirmentur; qui vero Ecclesiae libertatem humanaeque conscientae iura conculcare temerario ausu enitantur, tandem aliquando intellegant civilem quamlibet consortionem, sublata religione ac quasi in exsilium exacto Numine, consistere numquam posse. Augusta enim solummodo religio potest civium officia ac iura iusta ratione temperare, rei publicae solidare fundamenta, atque hominum mores salutiferis normis conformare et ad rectum ordinem virtutemque dirigere. Quod summus Romanorum orator asseverabat: « Vos, Pontifices, ... diligentius urbem religione, quam ipsis moenibus cingitis »,[3] id, cum de christianis praeceptis christianaque fide agitur, tam verum certumque est, quam quod maxime. Hoc igitur agnoscant omnes, qui publicae rei gubernacula moderantur; atque adeo de-

[3] Cic., *De Nat. Deor.*, III, 40.

bita ubique restituatur Ecclesiae libertas, ita quidem ut eadem, nullis praepedita repagulis, salutari sua doctrina queat hominum mentes collustrare, iuventutem recte instituere et ad virtutem educere, domesticos consecrare convictus, omnemque permeare hominum vitam. Qua profecto ex actione civilis societas nullum umquam detrimentum patietur, sed summam assequetur utilitatem. Tum enim reapse, Venerabiles Fratres, socialibus mutuisque rationibus iustitia aequitateque compositis; elatis, ut oportet, indigentium condicionibus atque ad humanam dignitatem restitutis; sedatis denique tandem discordiis tranquillatisque fraterna caritate animis, meliora tempora — quod vehementer optamus, ac supplici poscimus prece — cunctis populis ac gentibus feliciter orientur.

Haec habebamus, Venerabiles Fratres, quae vobiscum hoc in amplissimo consessu communicaremus; vobiscum dicimus, qui Nobis tam prope in universa gubernanda Ecclesia assidetis, sedulam prudentiam sollertemque impertientes operam vestram.

LITTERAE DECRETALES

B. BERNARDINO REALINO C., SACERDOTI PROFESSO SOCIETATIS IESU, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Gaudio exultat Sancta Mater Ecclesia in suprema filiorum suorum glorificatione, qui, Christi vestigia persequuti, pro huius amore sive sanguinem suum fuderunt, sive absque sanguinis effusione pro fratrum salute, sicut Paulus Apostolus, omnibus omnia facti, quotidie moriebantur. Geminata porro gaudeat laetitia inclita Iesu Societas, quae binos alumnos suos, Martyrem unum, Ioannem De Britto, Confessorem alterum, Bernardinum Realino, ambos Christi Iesu Apostolos, supremis hodie Caelitum honoribus per Nos decoratos videt. Praesentibus Nostris autem Decretalibus Litteris consecratam volumus novensilis Sancti Bernardini Realino memoriam.

Qui Carpi, in *nullius* tunc dioecesis oppido Mutinae proximo, kalendis decembribus, anno millesimo quingentesimo trigesimo a parentibus Francisco et Elisabetha Bellentani, nobili genere ac religione claris, natus est, dieque octava decembris lustralibus aquis ablutus. Quum pater, virorum principum aulis addictus, plerumque a domo abesse cogeretur, matrem habuit a pueritia institutionis ac pietatis magistram; quae quidem tam sedulo atque amanter hoc maternae caritatis officium praestitit, ut Bernardinus, etiam iam adultus, cum de matre loqueretur, memor et gratus vix lacrimas tenere posset.

In patria schola latini et graeci sermonis elementa didicit et humanioribus litteris atque philosophicis rudimentis sedulam navavit operam et, ut ex ephoebis excessit, Mutinam primum a patre missus est ut inceptum tam laudabiliter studiorum curriculum absolveret; ibi vero secundo anno aliquot consociorum familiaritate usus maximam temporis iacturam fecit et ad illecebras saepe tentatus, divina protegente gratia, secum conquestus ad meliorem vitae consuetudinem redivit et studiis diu noctuque sedulo vacavit.

Bononiam postea, Ducis Ferrariae citra solitum praevia licentia, petiit et in athenaeo illo ad philosophiam primum et medicinam se applicuit, sed electissimae puellae, quam castissime adamabat, suasionibus totum se convertit ad iurisprudentiae studium, cuius lauream summa cum laude meritus est.

Carpum reverso in quadam rei familiaris controversia arbiter, inauditis omnibus, iniquam sententiam dixit; qui, inter viam oblatus et interrogatus a Bernardino cur id egisset, arroganter et iniuriose respondit. Bernardinus, irasci celer, educto gladio quo erat instructus, adversarii fronti levé inflixit vulnus. Cuius facinoris, in magna animi conturbatione patrati, sic eum puduit ac poenituit, ut contrito animo a Deo et ab adversario veniam impetraverit, meritam poenam, exilium scilicet, non deprecatus sit; exindeque iracundiam sic compescuit, ut mansuetissimus in posterum vir evaserit. Patria extorris Mediolanum cum patre petiit, ubi ob eximias eius virtutes et iuris peritiam in civem Mediolanensem adscriptus fuerat, a Cardinale Madrucio, Regio Ducatus Mediolani Gubernatore, Filizani primum, Cassini loci exinde et Castrileonis oppidi praetor praeficitur, ac denique Alexandriae Advocatus Fiscalis eligitur. In quibus muneribus quam egregie se gesserit, placet referre quae in testimonialibus litteris leguntur, anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, die decimo septimo Decembris a Castrileonis oppidi proceribus datis, de Bernardino Realino, qui « *facilis in edocendo fuit, catholicus, paci quietique tum publicae, tum privatae sedulo invi-*

gilans mansuetus, sed acer in crimina, sapiens in iudicando, in consultando prudens, discretus in iubendo, alieni non cupidus, sui maxime in pauperes liberalis erogator, maximus avaritiae oppugnator, hostisque vitiorum acerrimus, honeste vivendo, neminem laedendo, ius suum cuique sine personarum acceptione tribuendo, pius erga viduas, orphanos et reliquas humilioris fortunae personas, pro quibus semper defensionis clypeum benigne sumpsit, iustitiam dilexit, et ordinavit iniquitatem, talemque se denique in dicto suo regimine praestitit, ut iure merito de illo nos dicere possimus: Pax in diebus orta est, et iustitia effudit lucem magnam integritati suae restituta ».

Dum his fungebatur muneribus, nunquam vitam tot negotiis implicitam a religione ac pietate seiunxit, et aliquot etiam tractatus spirituales composuit. Neapolim postremo missus est, ubi annos quatuor et triginta natus fluxis honoribus et rei familiaris curis abdicatis, Societatem Iesu ingreditur, in qua humilis et sui contemptor in sodalium adiutorum numerum adscisci maluit, sed moderatorum auctoritate non solum ad sacerdotii dignitatem ascendere iussus est, sed paulo post, attentis eius eminentibus virtutibus et eximia sanctimonia, eidem prima et gravia munera: Patrum Societatis confessarii, praedicatoris, rerum spiritualium praefecti et novitiorum magistri commissa sunt; quae omnia summa laude et caritate exercuit, tantamque apud Sanctum Franciscum Borgia, tunc Praepositum Generalem, sibi ipse comparavit existimationem, ut dignus habitus sit qui, etsi nondum theologica ceteraque studia complevisset, contra Societatis consuetudinis ordinem, ad quatuor votorum professionem solemnem admissus sit.

Integro decennio Neapoli moratus, se totum maiori Dei gloriae et animarum saluti dedit planeque devovit. Quapropter divino cultui promovendo constanter studuit; praeter susceptam discipulorum curam, contionabatur mane diebus festis ad confertam multitudinem magno cum animarum lucro; vespere autem pluribus in locis pueros catechesi instruebat. Praeter haec poenitentiae et eucharistiae sacramenta assidue administrabat; aegrotis et morientibus praesto erat, carceres et nosocomia lustrabat, facinorosis ad supplicium tractis aderat, pauperum tuguriis opem ac solamen circumferebat, turcas quoque maritimis captos praeliis ad agnitionem evangelicae veritatis patientia summa traducere studebat, omnium sibi benevolentiam benignitate sua conciliando ut omnes Christo lucrifaceret. Dum autem aliis comitate et caritate sese effundebat, uni sibi asper erat Bernardinus, cilicio semper indutus, quotidie se flagris caedens, perbrevem somnum et saepe super asseribus carpens, parcissime victitans, a labore nunquam refugiens. Nil ergo mirum

quod magnam sibi bonorum omnium aestimationem et sanctitatis famam conciliaverit, non apud suos et Neapolis cives tantum, sed etiam extra. Quod quidem luculenter compertum est quando Neapoli a suis Superioribus Lycium missus, ante discessum tota fere civitas accepto nuntio commota est et plurimi cuiusvis ordinis cives eum salutatum convenerunt et omnes, prout Paulum Ephesi, lacrimantes lacrimantem prosequuti sunt, et Lycii a civitate, magno cum honore et equitatu, exceptus est. Ibi, uti in alma hac Nostra Urbe Divus Philippus Nerius, eodem saeculo, per quadraginta et duos annos; sanctissimam duxit vitam, omnibus omnia factus, vere Christi Apostolus. Et, ut verbis ipsis utamur, prout in apostolicis sub anulo Piscatoris Litteris *Benigno quodam* Servi Dei Beatificationis, die XXVII Septembris MDCCCXCV a cl. mem. Leone Tertiodecimo, Praedecessore Nostro datis, iacent, « *Primo tanquam si sacram expeditionem suscepisset, singulares pietatis exercitationes indixit: in multitudine studia rerum divinarum revocavit, desuetos officiis et moribus christianis, ne imperium irritaret animos, quam lenissime dedit operam ut suam quisque culpam agnosceret pravasque consuetudines detestaretur; paullatim inde amore sanctitatis iniecto, ad salutarem Dei metum verbis humanissimis cohortatus est. Teneris autem puerorum puellarumque animis per doctrinam christianam evangelicae veritatis lumen aperuit: eos sibi iucunditate sermonis blanditiisque sanctae caritatis ita adlexit, ut eum per vias, per compita sequerentur... Quum Bernardinus non posset unus adesse omnibus, sodalitatem instituit ex primoribus civitatis, quibus adiutoribus suis in deliniendis calamitosorum hominum miseriis usus est. Cum illis versatur in valetudinariis, duplex solamen afferens animi et corporis: adit carceres, coniectosque in vincula ad patientiam hortatur: squalida pauperum tuguria splendore caritatis illustrat: inopesque spe sempiternae beatitudinis consolatur: inveterata odia et simultates, quae sunt domorum contagia, dirimit: innuptasque pauperculas ne in discrimen pudicitiae inducantur dotat: nihil denique praetermittit quod proximi utilitati et sodalium spirituali bono idoneum iudicat. Turcas etiam, in captivitatem actos, tamquam fratres in Iesu Christo amplexus est caritate mirabili, eosque desertos et miseros omni ope iuvit, ad religionis praecepta erudivit; tanta vero suavitate et humanitate, ut illi barbaros mores et genuinam animi feritatem deponerent. Interea, dum haec agebat, templum condidit munificentia admirabili, illudque Iesu nomini dicavit. Proinde ut Societas Iesu Lyciis domicilium et sedem stabilem haberet, Collegium a fundamentis felici molitione excitavit et quidquid vitae usui opus est suppeditavit, liberalitate fretus civium Lyciensium* ».

Quae omnia si plane demonstrant quanto amore Bernardinus proximum prosequutus est, quanta etiam ille in Deum caritate arserit conici potest. Revera exactissima in eo fuit Dei mandatorum atque incliti sui instituti constitutionum observantia, maxima conscientiae puritas et munditia cordis, tanta cum perfectione ut ne veniale quidem peccatum post ingressum in Societatem commisisse opinari liceat; eximium in eo erat orationis studium, in quo ille tam assiduus fuit ut eius genua ex longa et pertinaci humi pressione in duritiam exuberaverint; ac tam fervens fuit ut eius facies saepe visa sit vel lacrimis manare, vel undique lumen et mirabiles effundere radios, uti plures de visu testes in canonicis processibus asseruerunt.

Reciprocus autem erat Christi Domini eiusque Beatissimae Virginis Matris amor in Bernardinum, qui caelestibus meruit charismatibus cumulari, sicuti occultas animorum latebras introspicere, futura praescire, conspectu Beatae Virginis et divini eius Filii, uti fertur, vel amabili infantis specie oblata, vel reiterata Christi Domini, olim spinea redimiti corona, alias Cruci affixi, apparitione. Ex hac sublimi in Deum caritate ceterae prodierunt virtutes tum theologales cum cardinales, quae in illo Dei Servo in gradu heroico et eminenti eluxerunt. Hinc in eo profunda humilitas, illibata et incontaminata castitas, obedientia sublimis, exactissima in cunctis paupertas. Hinc aeternae vitae desiderium, indefessum animarum salutis studium; hinc affabilitas, oris iucunditas, vultus modestia, mansuetudo et ab ira alienatio; et hinc denique mira abstinentia, magna sobrietas, pietas ac devotio maxima, fortitudo, consilium et sapientia sanctorum, quibus omnibus virtutibus, post suum in religionem ingressum, in gradu heroico decoratus fuit; hinc eidem prophetiae et miraculorum a divina largitate dona et gratiae prodierunt. Quapropter non immerito fama suae sanctitatis erupit, dum vitam ducebat, et ab omnibus verus Dei amicus ille habebatur.

His igitur virtutibus et sanctitudinis opinione ornatus, Dei Servus longaevam octoginta sex annorum aetatem vixit, donec quo praesagivit anno millesimo sexcentesimo sextodecimo, apoplexia tactus, post Episcopi, Capituli, Magistratus et Lyciensium virorum turbae ad illum invisendum concursum, omnibus Ecclesiae Sacramentis rite munitus, die secunda Iulii in festo Visitationis B. Mariae Virginis ad S. Elisabeth, placido fine quievit in Domino. Exanime corpus, sacerdotalibus indutum vestibus, in ecclesiam delatum, suavi manans odore, per maximum cleri et populi concursum, non Lyciensis tantum civitatis, sed viciniorum etiam oppidorum, cum extraordinariis devotionis signis invisitur, tanti

Patris orbitatem deplorantium, donec post quadraginta horarum spatium honorificae sepulturae traditum est.

Vitae sanctitatis fama, quam Dei Servus adhuc vivens ob heroicas suas virtutes atque ob plurima mirabilia, quae ipsius intercessione a Deo Optimo Maximo patrata ferebantur, sibi comparaverat, non Lyciae tantum civitatis finibus continebatur, sed integram Hydruntinam provinciam, regnum Neapolitanum, immo totam fere Italiam aliasque remotissimas regiones longe lateque pervaserat, ita ut ecclesiastici et saeculares Principes, quos inter ipse summus Pontifex Paulus Quintus et Henricus Quartus, Galliarum Rex, Cardinales, uti S. Bellarmino, Sacrorum Antistites sese illius precibus commendatos voluerint; post pretiosam eius mortem magis magisque percrebuit. Nil ergo mirum quod paucis post annis, ab Apostolica Sede remissionalibus Litteris obtentis, anno millesimo sexcentesimo vicesimo tertio Processus Ordinarius, quem informativum vocant, in Lyciensi curia de vitae sanctitate, populi devotione et miraculis Dei Servi Bernardini Realino ad eius Beatificationem et Canonizationem obtinendam inceptus est; iunio vero illius anni mense prima corporis eiusdem Servi Dei recognitio facta est; alii item Processus in Capuana et Stabiensi curia constructi sunt; quibus omnibus Romam missis et a Sacra Rituum Congregatione rite discussis et adprobatis, a sa. mem. Gregorio Decimo Quinto, Decessore Nostro, signata est Introductionis Causae Commissio, atque in Neapolitana Curia paulo post apostolica auctoritate processus celebratus est.

Causa vero, Decretis intervenientibus de *non cultu* a Praedecessore Nostro Urbano Octavo, editis sopita est usque ad annum millesimum septigentesimum undecimum, ea potissimum causa quod plurima Servi Dei opera et scripta ad iuris normam colligenda erant et stricto theologorum examini subiicienda. Quum vero anno illo, iussu Apostolicae Sedis, ad novam Dei Famuli reliquiarum recognitionem per Lyciensem Episcopum Fabricium Pignatelli deventum fuerit, quumque in hoc recognitionis actu mirabilia quaedam et prodigiosa sanatio perspecta fuerint, biennio post, de miraculis istis processus constructus fuit. Anno autem millesimo septingentesimo trigesimo primo apud S. Rituum Congregationem de Virtutum heroicitate Famuli Dei Bernardini discussum est, et kalendis septembribus duos post annos Congregatio praeparatoria, quam vocant, habita est; sed, alia ob multas rerum vicissitudines Causae interiecta mora, et omnibus absolutis, quae iuxta Sacros Canones inspicienda erant, tandem fel. rec. Decessor Noster Leo Duodecimus die trigesima prima Iulii mensis, anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo, in festo S. Ignatii, Societatis Iesu Fundatoris, solemni-

ter edixit constare virtutes theologales Fidem, Spem et Caritatem in Deum et proximum, et cardinales Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem et Temperantiam earumque adnexa venerabilis Servi Dei Bernardini Realino heroicum attigisse gradum.

Ad eiusdem Dei Famuli Beatificationem obtinendam de duobus saltem miraculis, eius intercessione a Deo patratis, disceptandum erat, et modo etiam, non mediocri interiecto intervallo ob temporum rerumque iniuriam, fel. rec. Leo Tertiusdecimus, et ipse Praedecessor Noster, solemniter edixit die tertiadecima Novembris mensis, anno millesimo octingentesimo nonagesimo quarto, *constare de duobus propositis miraculis, nimirum de primo, quo infans Ioseph Rigliani, acuto et gravissimo morbo abdominis consumptus, iamque a novem horis adstantium iudicio habitus ut mortuus, imploratis ab eius matre Venerabilis Bernardini suppetiis, illico perfecte sanus materna ubera petiit; ac de altero, quod sic effertur: Pater Antonius Grassi e Societate Iesu inveterata fistula intestini recti laborans, quae ferro et igni restiterat, dum asportandis Venerabilis Bernardini sacris lipsanis operam praestat, illico, perfecte consanatur, nullo remanente cicatricis vestigio.*

Quo Decreto edito, idem Summus Pontifex benigne concessit, ut ad ulteriora procederetur, quin esset necessarium ad tertii miraculi investigationem venire; porro, habito, in Cardinalium S. Rituum Congregationi praepositorum coram eodem Summo Pontifice generali conventu, eorum unanimi favorabili suffragio, per solemne Decretum diei vicesimae quintae Martii mensis, sequenti anno, *Tuto procedi posse ad solemnem Beatificationem venerabilis Servi Dei Bernardini Realino* statutum fuit. Quae Beatificationis solemnia, in Sacrosancta Patriarchali Basilica Petriana, die duodecima Ianuarii mensis, anno millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, magno splendore et fidelium frequentia celebrata fuere.

Vulgatis deinde pluribus gratiis seu miraculis, quae eiusdem Beati intercessione ab omnipotenti Deo dicebantur patrata, post indultam eidem Beato venerationem, Canonizationis Causa, instante b. m. P. Camillo Beccari, Societatis Iesu tunc Postulatore, anno millesimo nongentesimo secundo reassumpta est, et aliquot post annos a dilecto Filio Carolo Miccinelli, sollerti Societatis Iesu Postulatore Generali, binae sanationes, quae merito supernaturalis actionis characteres videbantur habere, Sacrae Rituum Congregationis examini exhibitae sunt. Altera in hac alma Urbe anno millesimo nongentesimo trigesimo secundo ita evenisse dicebatur: Olympia Barroero Lazzaroni, Hermenegildi filia, non parvae dimensionis fistula in dextero uretere laborabat. Insanabilem

hanc esse tres chirurgi medentes edixerunt, quod iudicium tres periti ex officio a S. Congregatione Rituum adlecti unanimi sententia confirmarunt.

Iamvero die secunda Aprilis, anno millesimo nongentesimo trigesimo secundo, matutinis horis morbus adhuc saeviebat. Ferventes interim preces, ipso chirurgo medico Eugenio Gasparro, Lyciensi, suadente, ab aegrota eiusque marito et ipso cum aliis chirurgo ad B. Bernardinum effundebantur, et, mirum! hora duodecima in instanti fistula occlusa est et cetera morbi symptomata evanuerunt, uti continuo medens agnovit. Sanatam in recuperata valetudine perseverasse duo periti ex officio deputati testati sunt; et miraculum intervenisse omnes medentes, tres periti officiales ceterique testes unanimiter agnoverunt.

Sanatio altera Lyciae ita evenisse narratur: Sophia Renna Donno, Orontii Carminis filia, Lyciensis, gravi meningitide tentata fuit, quae adeo invaluit ut nocturnis horis diei primae Iulii anni millesimi nongentesimi tricesimi octavi mortem instare medentes edixerint. Incassum medicorum curis cedentibus, Beatus Bernardinus invocatus est. Infirma primis diei sequentis horis placide obdormivit et in somnio primum, deinde, vigil Beati visionem, ut ipsa narravit, habuit, qui caput ei tetigit, et illico se illa sanatam sensit. Sanationem eodem mane alter ex medentibus agnovit, quam ceteri medici postea confirmarunt. Recuperatam valetudinem perseverasse praeter sanatam duo periti physici ex officio in apostolica inquisitione deposuerunt. Divino miraculo sanationem esse tribuendam tres medentes ac tres periti, a Sacra Rituum Congregatione acciti, qui in gravis meningitidis diagnosi et infausta prognosi edicenda mira concordia convenerant, pariter affirmarunt.

De duabus istis sanationibus, praemissis suetis disceptationibus in Sacrae Rituum Congregationis comitiis, demum coram Nobis die vicesima Maii mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo primo Generalis Congregatio habita est, in qua omnes adstantes Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores, quid de re sentirent libere Nobis aperuerunt; Nos vero iudicium Nostrum edere distulimus ut maiori divino lumine illustraremur, atque diem trigesimam Iunii mensis selegimus ut Nostram aperiremus mentem. Qua die ad Nos accivimus S. R. E. Cardinalem Carolum Salotti, S. Congregationis Rituum Praefectum et Causae Relatorem, Alfonsum Carinci, eiusdem Congregationis a Secretis, et Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem Generalem, sacroque Missae sacrificio litato, solemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis a Deo per B. Bernardini Realino intercessionem patratis; nempe, de instantanea perfectaque sanatione cum Olympiae Barroero*

Lazzaroni a fistula ureteris dexteri, tum Sophiae Renna Donno a gravi meningitis morbo; atque Decretum hoc promulgari mandavimus.

Cum maiorem miraculorum numerum praenobilis huius Causae indoles ad iuris tramitem non requireret, unum deerat ut ab Apostolica Sede decerneretur *tuto* procedi posse ad Beati Bernardini solemnem Canonizationem. In generali igitur Congregatione coram Nobis die quintadecima Iulii mensis illius anni dubium propositum est: An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam Eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, Tuto procedi posset ad sollemnem Eiusdem Canonizationem, omnes adstantes unanimi suffragio *affirmative* responderunt; Nos vero Nostram edere distulimus sententiam usque ad subsequentis Augusti mensis decimam quintam, in festo Assumptionis S. M. V., in qua solemniter ediximus, adstantibus praefatis Cardinale, S. Rituum Congregationis a Secretis, et Fidei Promotore Generali: TUTO *procedi posse ad Beati Bernardini Realino Canonizationem.*

Ut autem translaticius mos, in tanti momenti re servaretur, quinque fere post annos a praefato Decreto edito, bellico tandem seposito furore, qui universum fere terrarum orbem pervaserat, venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales ad decimam octavam Februarii mensis superioris anni in Consistorium Secretum apud Nos convocavimus, in quo primum praeclarissimos ac de re catholica deque patria cuiusque sua meritissimos viros duos et triginta in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium adscripsimus; plures dein suo destitutas Pastore Ecclesias providimus; ac demum, praehabito a venerabili Fratre Nostro Carolo S. R. E. Cardinale Salotti, S. Rituum Congregationis Praefecto, sermone de vita et miraculis Beatorum Caelitum Ioannis de Britto, martyris, et Bernardini Realino, confessoris, e Societate Iesu; Ioannae Elisabeth Bichier des Ages, virginis, Filiarum a Cruce Congregationis confundatricis; atque Franciscae Xaveriae Cabrini, virginis, Instituti Sororum Missionalium a S. Corde Iesu fundatricis; ac, recensitis actis, quae in causis Beatificationis et Canonizationis eorum Beatorum et Beatarum Ss. Rituum Congregatio, praevio districto examine, admittenda et approbanda censuit, Nos, adstantium Patrum Cardinalium singillatim sententiam excepimus, qui uno ore Nos cohortati sunt ad legitimam ipsarum Causarum definitionem. Vicesima prima autem die Februarii, in Basilica Vaticana, Consistorium Publicum solemniter celebratum est, in quo pro praefatorum Beatorum Canonizatione per dilectos Filios sacrae Consistorialis Aulae Advocatos, breviter de vita, virtutibus et miraculis eorumdem Beatorum relatione praehabita, uti de more institerunt; quam perorationem pro Beato Bernardino Realino Advocatus

Franciscus Xaverius Parisi egit. Nos vero, quamvis iam optime noscere diximus quatuor Beatos illos Caelites, quorum causam Advocati eleganter peregerunt, dignos omnino esse qui in Sanctorum catalogum adscriberentur; tamen, ut rite omnia fiant iuxta venerandam traditionem, non ante inerratum iudicium Nostrum laturos inquimus, quam in *Consistorium Semipublicum*, quod vocatur, universi qui in Urbe adfuturi sint Purpurati Patres, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi suam Nobis sententiam aperuerint. Interim rogavimus omnes ut, supplicibus admotis ad Deum precibus, uberiora Sancti Spiritus lumina Nostrae menti conciliarent.

Mandavimus porro ut singulis memoratis Antistitibus legitimi commentarii de Beatorum illorum vita, gestis et miraculis, et de omnibus actis in ipsorum Causis mitterentur, quo facilius cuique res explorata ac cognita esse posset, antequam suum ipsi possent libere et religiose Nobis aperire iudicium.

Consistorium itaque hoc *semipublicum* die tertia decima iunii mensis elapsi anni in Aula Consistoriali celebratum est, in quo Nos primum adstantes omnes allocuti sumus et singulorum dein suffragia exquisivimus. Quibus exceptis valde laetati sumus concordibus eos vocibus animisque una Nobiscum consentire, supremos nempe sanctitudinis honores Beatis illis per Nos, Sancto Divino Spiritu adspirante, decernendos esse.

Huius autem Canonizationis solemnia in honorem Beati Bernardini Realino una cum Beatis Ioanne De Britto Martyre et Ioseph Cafasso Confessore in alio Consistorio semipublico, decima septima die aprilis mensis proxime elapsi habito, ad diem hodiernam, idest vicesimam secundam Iunii mensis, opitulante Deo, in Petriana Basilica solemniter peragere decrevimus. Interea adstantes Purpuratos Patres et universos christifideles rogavimus ut suas Nostris precibus adiungere vellent, ut fausta ac salutaria quae iam tunc praestolabamur catholicae rei evenirent. De quibus omnibus ut iuridica acta conficerent, Consistorialis Aulae Advocatis rogantibus, adstantibus Protonotariis Apostolicis uti de more mandavimus.

Quum autem praestituta haec dies advenerit, Nos, cunctis saecularis et regularis cleri ordinibus, plurimis Romanae Curiae Praelatis et Officialibus praeeuntibus, et cum magna Patrum Cardinalium et Sacrorum Antistitum frequentia, solemni supplicantium ritu Vaticanam Basilicam, innumeris lychnis et magnifico ornatam apparatu, iamque maxima plaudentium fidelium multitudine stipatam, ingressi sumus. Ad Nostram illico Cathedram perreximus ibique sedimus. Tunc, praestita

prius Nobis a venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, iuxta ritum, obedientia, Carolus Cardinalis Salotti, S. Rituum Congregationis Praefectus et huic Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Aloisio Philippo Re, Consistorialis Aulae Advocato, instanter, instantius et instantissime postulavit ut Nos Beatos Ioannem de Britto, Martyrem, Bernardinum Realinum et Ioseph Cafasso, Confessores, summis sanctitatis honoribus decorare dignaremur. Dein, Sancti Divini Spiritus lumine implorato, Nos, Iesu Christi Vicarius et supremus catholicae Ecclesiae Magister, in Cathedra Divi Petri sedentes, solemniter pronunciavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope sacpius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio; Beatos Ioannem De Britto Martyrem, Iosephum Cafasso et Bernardinum Realino Confessores Sanctos esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia Universali illorum memoriam quolibet anno die eorum natali, nempe Ioannis de Britto die quarta Februarii, Iosephi Cafasso die vigesima tertia Iunii, Bernardini Realino die secunda Iulii, pia devotione recoli debere. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.*

Oblatis deinceps Nobis precibus a quem supra memoravimus Canonizationis Procuratore, Cardinale Salotti, per praefatum Aulae Consistorialis Advocatum, annuentes, has sub plumbo Litteras Decretales confici expedirique iussimus; et adstantibus Protonotariis Apostolicis ut de eiusdem Canonizationis memoria publicum conficerent instrumentum mandavimus. Gratiis deinde Deo Optimo Maximo una cum confertissima fidelium multitudine hymnum *Te Deum* concinentes, peractis, et primum novensilium Sanctorum invocato patrocinio, Nos homilia clerum et populum allocuti sumus, in qua de singulis brevi sermone elogium diximus ut fideles, praeclara eorum virtutum exempla intuentes, ad ea imitanda ac persequenda impensiore studio excitarentur et eorum valerent patrocinium supplici prece conciliare tum sibimetipsis, tum universo humano generi, nondum ex bellica conflagratione, qua tam acriter laboravit, recreato.

Homilia a Nobis pronunciata, apostolicam benedictionem et plenariam peccatorum indulgentiam adstantibus peramanter impertivimus,

et mox solemne litavimus Pontificale Sacrum; quo persoluto, splendidus Canonizationis ritus felicem exitum habuit.

Nostris itaque hisce Decretalibus Litteris novensilis Sancti Bernardini Realino consecrata memoria, quae iure meritoque gloriosam Sanctorum seriem amplificat et in inclitam Ignacianam familiam atque in Carpensem et Lyciensem civitates maxime profundit gaudium, omnibus quae inspicienda erant bene perpensis, certa scientia, omnia et singula quae supra memoravimus de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, iterum confirmamus, roboramus atque statuimus, decernimus universaeque Ecclesiae Catholicae denuntiamus. Mandamus insuper ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus habeatur fides, quae hisce praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent. Si quis vero Decretales has Litteras Nostras definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei ausu temerario contraire aut attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die vicesima secunda Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.



✠ Ego Franciscus Episcopus Ostiensis et Tusculanus Cardinalis Marchetti Selvaggiani, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego Eugenius Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis Tisserant.

✠ Ego Clemens Episcopus Veliternus Cardinalis Micara.

✠ Ego Ioseph Episcopus Albanensis Cardinalis Pizzardo.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI-MASELLA.

Ego ALEXANDER tituli S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego ALOISIUS tituli S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis LAVITRANO.

Ego PETRUS tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego FRIDERICUS tituli S. Mariae de Victoria Presbyter Cardinalis TEDESCHINI.

Ego FRANCISCUS tituli S. Caeciliae Presbyter Cardinalis MARMAGGI.

Ego DOMINICUS tituli S. Apollinaris Presbyter Cardinalis JORIO.

Ego ERNESTUS tituli S. Sabinae Presbyter Cardinalis RUFFINI.

Ego MAXIMUS tituli S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego ADEODATUS IOANNES tituli S. Priscae Presbyter Cardinalis PIAZZA.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.

Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.

Ego IOSEPH S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
Decanus S. Collegii.

C. Card. MICARA
S. Rituum Congr. Praefectus.

† Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA

die vicesimatertia Decembris, anno decimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

A. Marini, *Scriptor Apostolicus.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIV, n. 24. – Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

ADHORTATIO APOSTOLICA

AD UNIVERSOS ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES : DE MISSA VOTIVA CELEBRANDA IN OSORUM DEI CRIMINIS EXPIATIONEM.

PIUS PP. XII

Conflictatio bonorum et malorum, quorum semper commixtis moribus factisque humani generis historia contexitur, raro, ac fortasse numquam, ita cruduit, ut nostra contingit aetate.

Si Nos, quoquoversus ex hac Vaticana arce terrarum orbem conspicimus, habemus sane, cur admiratione et gaudio cumulemur, dum bonorum phalanges virtutibus splendere intuemur, quae priscas christianae religionis aetates, praesertim fortitudinis merito et martyrum gloria, in memoriam revocant; at contra moerore et angore conficimur, cum malorum nequitiam ad incredibilem et prorsus alias insuetam impietatem pervenisse cernimus. Hoc flagitium, venerabiles Fratres, horremus referre, at pro Apostolici muneris officio silere non possumus.

Superba illa divinarum rerum neglegentia et despicientia, quae primum fuit hominis, caeleste mandatum detrectantis, delictum et omnium noxiarum turbulentissimus est fons, hisce quae volvuntur temporibus veluti virulentus morbus ubique ferme terrarum serpit saevitque; praesertim vero in aliquibus regionibus, ob excitatam « adversus Dominum et adversus Christum eius » [1] conspirationem innumera prorsus mala progignit: adempto siquidem Deo, hominem, spirituali dignitate exutum, corporearum rerum vile facit mancipium atque adeo quidquid est virtutis, amoris, spei, interioris vitae pulcritudinis radicitus interimit: loquimur de atheismo, quin etiam de odio Dei.

Summa qua sunt impudentia, Dei nominis osores adiumenta et subsidia omne genus sibi arripiunt. Libri, commentarii, ephemerides, radiophonicae undae, comitia, publici coetus et privata colloquia, disciplinae et artes, omnia iis praesto sunt, ut rerum sacrarum derisum evulgent. « Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aër de fumo putei ». [2] Reputamus vero, Venerabiles Fratres, hoc non contingere, quin inferni hostis machinentur insidiae, cui proprium est odisse Deum et hominibus nocere.

Nihil igitur vobis et sacerdotibus ac fidelibus curae vestrae commis-

[1] *Ps. II*, 2.
[2] *Apoc.*, IX, 2.

sis sit potius quam ut pro Dei nomine tuendo, quod trementes angelicae verentur potestates, excitetur certatio. Elato S. Michaëlis Archangeli signo, illa iterata conclamatione : « Quis ut Deus? » supernae maiestatis conviciatoribus opponite strenuissimam voluntatem Dei nominis asserendi, amandi, praedicandi.

Quod qui huiusmodi despicatione lacessunt, non solum horrendi flagitii rei sunt, quia « odium Dei maxime est peccatum in Spiritum Sanctum » [3] et in gravissimas poenas subeundas eos adurget, sed perquam ingratos gerere animos apertissime apparent. Quid enim magis necessarium et salutare quam adorare et colere Deum? Nostra animi et corporis compago, dotes animi et vires ex Eo nobis profluunt; lumen solis, aër, fructus terrae, alimonium, suavitates vitae et, quod maioris momenti est, caelestis gratia, sanctitudinis subsidia, veritas, salus ex Eo sunt : omne nostrum bonum Eius est donum.

« O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus ». [4] « Tu autem Deus noster suavis et verus es, patiens et misericordia disponens omnia ». [5] Ipse non est procul ab unoquoque nostrum : « In ipso enim vivimus et movemur et sumus ». [6] Sapientissimus et miserentissimus est, cum blandiendo consolatur, cum flagellando emendat. Quoties autem punit nos, iuste patimur, nam « digna factis recipimus »; [7] et ipse dolor, superno providente consilio, disciplina virtutum et fecunda sempiternae felicitatis fit seges. Cui vero Deus est hereditas et possessio, paulula res sunt prosperae aut adversae fortunae et, Eo non amisso, nihil est censendum amissum.

Est aliud praeterea, quod amor Dei salutare hominibus gignit, dum, contra, calamitosa eventa Eius aversatio maturat. Quis non formidet et non horreat simultates, discordias civium, bellorum conflictationes, quae in posterum, novorum telorum vi, quam maxime exitialia erunt? Haec ut arceantur, salutamus et laudamus incepta, quae eo vergunt, ut civitates maioribus semper coniunctionis vinculis foederatae coalescant.

Id autem, facile ruinosum, in labili arena fundatur, nisi fraternae omnium necessitudinis sensus ubique terrarum vigeat et, sanctam firmamque reddendo mutuo datam acceptamque fidem, fulciat pactiones, societates consolidet. Atque experientia et usu hoc verissime constat homines non sentire se invicem fratres, nisi ii sentiant se omnes eodem

[3] S. Thomas, *Summa Theol.*, 2-2, q. XXXIV, art. 2 ad 1.
[4] *Sap.*, XII, 1.
[5] Ibid., XV, 1.
[6] *Acta Ap.*, XVII, 28.
[7] Luc. XXIII, 41.

prognatos esse Patre. Dempta reverentia Summo legifero et iudici Numini, fas et nefas nuda sunt verba; morum lex pessumdatur; si nihil metuendum est, quidquid est insolentiae audet et patrat avida nequitia; in mutuas caedes belluarum ritu corruunt homines, quibus frui voluptatibus et saevire unum et miserrimum oblectamentum. Proficit siquidem nobis quod servit Deo. In purae igitur conscientiae aula summa contentione et cura Dei praesentis et amantis numen colatur, cum hoc sit augescentis virtutis et praeclari profectus iter, ut ab externis rebus ad interiores transeamus et inde ad supernas, non discessuri, ascendamus.

Suavissima illius praesentia repleatur memoria, collustretur intellectus, iucundetur animus, roboretur ad pure, actuose, pie agendum voluntas: « nosse enim te (scilicet Deum) consummata iustitia est ». [8] Omnibus qui a iustitiae viis deerrant, prece, sermone, opere et praesertim vita, in qua paternae bonitatis imago relucescat, incitamenta adhibenda sunt, ut suas culpas expient et eluant. Recogitent peccatores ad mitissimum patrem « qui prodigum filium revocat et post inopiam poenitentem libens suscipit, immolat vitulum praeopimum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? filium enim invenerat quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet: tam pater nemo, tam pius nemo ». [9] Qui pollet fide et religiosae vitae opibus ditescit, debet haec bona, quantum fieri possit, et cum ceteris communicare.

Ut hoc religionis studium vehementius excitetur et conviciatorum Dei scelestae impietati, qua nostra aetas coinquinatur, vallum et remedium parentur, adiumentum habemus validissimum. Quid non possunt preces? Quid non potest oratio, quae Christi nomine ab animo innocenti vel poenitenti funditur, quae fiduciae robore vigescat, bonorum operum pompa comitata? « Oratio murus est fidei, arma et tela nostra adversus hostem, qui nos undique observat ». [10] At quidquid ad religionis obsequium et observantiam spectat cedit Eucharistico Sacrificio, quod incruente perpetuat cruentam immolationem Christi in patibulo crucis eiusdemque in homines uberrimos salutares fructus derivat. Caelestis aeternusque Pater colitur, propitiatur, placatur pretioso insontis Agni sanguine, cuius vox efficacior est voce innocui sanguinis Abel et omnium iustorum, cum is sit infinita dignitate et virtute praeditus: a nobis enim assumptus pro nobis ab ipso Dei Filio offertur, pacis et reconcilia-

[8] *Sap.*, XV, 3.

[9] TERTULLIANUS, *De poenit.*, 8: *M. L.*, I, 1353.

[10] TERTULLIANUS, *De oratione*, XXIX: *M. L.*, I, 1304.

tionis nostrae effector, inexhaustus cuiuslibet superni muneris dator. « *Quando culpis provocamus — Ultionem Iudicis — Tunc loquentis protegamur — Sanguinis praesentia — Ingruentium malorum — Tunc recedant agmina* ». [11] Idem sacrificium « vere propitiatorium » [12] efficaciter peragitur « pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus ». [13]

Quodsi igitur immanis culpa est atheismus et odium in Deum, quo praesens saeculum contaminatur et propter quod haud immerito formidandas poenas praemetuit, lavacro Sanguinis Christi, quem Calix Novi Foederis continet, diluere possumus exsecrabile crimen et huius consectaria, implorata sontibus venia, abolere ac magnificum Ecclesiae parare triumphum.

Haec Nobis cogitantibus et Nobiscum animo volventibus hoc opportunum visum est vobis et sacerdotibus cunctis permittere vosque ipsos hortari, ut die dominica de Passione huius anni alteram Missam, quae erit votiva pro remissione peccatorum, ad mentem Nostram celebretis, nisi ea ad mentem Episcopi vel pro populo sit peragenda. Qui vero quavis ex causa huiusmodi privilegio non utentur, Missam eiusdem diei dominicae celebrabunt ac saltem supra explicata optata Nostra in eucharistico sacrificio enixe Deo commendent. Christifideles autem, qui pro mutua mystici Corporis Christi membrorum coniunctione tristia laetave Ecclesiae semper participare debent, a vobis arcessiti, quam plurimi eadem dominica die altaria circumsaepiant atque, causae gravitatem et momentum aeque perpendentes, flagrantiore studio Deum obsecrent orentque ac se, conferto agmine, caelesti dape reficiant.

Neque dubitamus, quin quod petimus incensissima cum religione et pietate omnes facturi sitis ac Deo simul adhibituri sitis supplicationes et vota, ut, ablatis noxiis, ad communia pacis vota feliciter implenda, caelestis caritatis aura in Christo renovet omnia. Valde demum confisi fore, ut optatis Nostris satis libenter fiat, vobis atque dilectis sacerdotibus et fidelibus, vestrae vigilantiae concreditis, qui proposito a Nobis munere fratrum amatores se exhibebunt, Apostolicam Benedictionem, superni auxilii pignus, impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XI Februarii anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

[11] Hymnus in primis Vesperis Festi Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.

[12] Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 2.

[13] Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 3.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

BOMBAYENSIS
(KARACHIENSIS)

AB ARCHIDIOECESI BOMBAYENSI TERRITORII PARS SEIUNGITUR ET NOVA EXINDE ERIGITUR DIOECESIS, NOMINE « KARACHIENSIS ».

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Opportunis providentiae studiis Romani Pontifices fidelium necessitatibus occurrere satagunt, nimis amplas Dioeceses dismembrando et novas erigendo, aliis concredendas Pastoribus. Hanc apostolici Nostri muneris partem modo requirit Archidioecesis Bombayensis in Indiis Orientalibus, quae ob nimiam territorii amplitudinem locorumque ab Archiepiscopi sede longinquitatem atque ob auctum fidelium et ecclesiasticarum institutionum munerum ab uno vel vigilantissimo Pastore non amplius ea, qua par est, sollertia, regi potest. Opportunum propterea visum est territorii partem ab ea seiungere, et novam exinde dioecesim constituere. Nos igitur, prae oculis habentes venerabilis Fratris Leonis Petri Kierkels, Archiepiscopi titularis Salaminensis, in « Unionis Indiae » Statu Internuntii Apostolici, votum, atque de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Christiano Nomini Propagando praepositorum consilio, omnibus mature perpensis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intensit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a, quam supra diximus, Archidioecesi Bombayensi territorii partem separamus, complectentem civiles provincias *Sind* et *Baluchistan,* quas iam ab anno millesimo nongentesimo trigesimo quinto eadem S. Congregatio de Propaganda Fide in Missionem *de facto,* quamvis non *de iure,* constituerat haud Archiepiscopi Bombayensis iurisdictioni obnoxiam, et eam in novam erigimus et constituimus Dioecesim, quam a *Karachi,* illius regionis urbe principe, *Karachiensem* appellandam decernimus, eamque Ordinis Fratrum Minorum curis, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, committimus. Huius novae dioecesis episcopalem sedem in praefata *Karachi* urbe, a qua Dioecesis ipsa nomen mutuatur, statuimus, quam idcirco urbem ad civitatis epi-

scopalis fastigium evehimus. Episcopi vero cathedram in templo Deo in honorem S. Patritii dicato, in eadem urbe exstante, figinus; quod igitur ad Cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem extollimus eique propterea atque Karachiensibus pro tempore Episcopis omnia tribuimus iura, privilegia, insignia, honores et gratias, quibus ceterae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur et gaudent, illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Dioecesim autem Karachiensem suffraganeam constituimus Metropolitanae Ecclesiae Bombayensi, cuius proinde Archiepiscopi metropolitico iuri Episcopos pro tempore Karachienses subiectos volumus. Quum vero praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in nova hac Dioecesi Canonicorum Capitulum modo constituatur, indulgemus ut interim pro Canonicis Dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Mensae episcopalis dotem constituent congrua redituum et bonorum pars, ad quam supra memoravimus Missionem pertinentium, nec non Curiae emolumenta et oblationes quae a fidelibus, in quorum bonum eadem Dioecesis erecta est, praeberi solent. Quod autem attinet ad huius Dioecesis regimen et administrationem, ad Administratoris, sede vacante, electionem, ad illorum, qui in sortem Domini vocati sint, institutionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi servanda iubemus quae sacri canones et decreta synodalia in Indiis Orientalibus vigentia praescribunt. Ad quae omnia ita disposita et constituta exsecutioni mandanda illum, qui Apostolicae Internuntiaturae in *Unionis Indiae* Statu exsecutionis tempore praeerit, deputamus eique necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto eidem onere authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem de Propaganda Fide quamprimum transmittendi. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Praesentes autem Litteras firmas, validas atque efficaces fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. Nemini ergo liceat hanc paginam dismembrationis, erectionis, commissionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire. Si quis vero id ausu te-

merario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die vigesima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVI, n. 59. - Al. Trussardi.

EPISTULAE

I

AD REVM̃UM P. CLEMENTEM A MILWAUKEE, ORDINIS FRANCISCALIUM CAPULATORUM MINISTRUM GENERALEM: DE APOSTOLATU AB EODEM ORDINE PROVEHENDO.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quemadmodum tibi tuisque, coram admissis, significavimus conventu vertente ex fere universis provinciis vestris Romae celebrato, haud mediocri Nos solacio afficimur, dum vos cernimus impense diligenterque allaborare, ut Institutum vestrum, quod iam decursu temporis, sive ad religiosae vitae perfectionem contendens, sive apostolatus aperibus se dedens, tantopere se probavit, maiora usque ac latiora incrementa capiat. Haec autem apostolatus opera, ut probe nosti, non tam opportuna, quam omnino necessaria hac nostra aetate videntur. Non modo enim frequentiores habeantur oportet ac sollertiores Evangelii praecones, qui apud incultas christiana sapientia gentes Iesu Christi praecepta eiusque paciferum Regnum cotidie magis propagent, sed in patria etiam cuiusque sua; iis nempe in regionibus quoque, quae iam diu Religione fruuntur civilique humanitate a Divino Redemptore data. Norunt siquidem omnes in non paucis civium ordinibus christianam fidem ita languescere, ut supernarum rerum taedium ac neglegentia quaedam saepius occupet animos.

Ex una parte, qui divitiarum copia affluunt, nihil aliud saepenumero quaerunt, quam voluptatibus se dedere totos praesentisque vitae suavitatibus; ex altera vero, qui rerum inopia anguntur, et sudore laboreque debent mancum sibi familiaeque suae comparare panem, allicientibus pollicitationum doctrinarumque fallaciis ab Ecclesia abalienantur, quasi eadem miseram eorum sortem ignoret ac neglegat; dum contra eo contendit omni ope ut non modo eorum mentes veritate collustret, non modo ut caelestium rerum spe ac solaciis eorum animos relevet, sed etiam — quantum in sua facultate est — ut praesentis eorum vitae necessitatibus consulat. At in salutari eiusmodi magisterio et opera prorsus necesse est ut Ecclesiae ne desint qui actuosa generosaque navitate sua eam adiuvent. Id postulant praesertim ingentes proletariae plebis multitudines, quae, ob asperiorem rerum indigentiam et ob demissam animorum culturam, facilius fucata specie falluntur, ac nimio saepius ex recto veritatis itinere, summo cum Religionis ac Civitatis discrimine abstrahuntur.

Iamvero Franciscales Capulati id semper, inde ab originibus, peculiare sibi habuerunt propositum, ut in tenuioris populi bonum apostolatus caritatisque incepta susciperent. Cur igitur in praesens evangelicam huius generis operositatem studiosiore quadam alacritate non adaugeant, dum in immensum succrescunt necessitates? Id ut agant, haec nostra tempora efflagitant, non modo in templis — ad quae saepenumero qui maiore in necessitate versantur non accedunt — sed etiam, quotiescumque eis ut sacerdotibus facultas datur sacri explendi ministerii, in agris, in officinis, in fabricis, in valetudinariis, in carceribus, inque mediis opificum agminibus, fratres fratribus facti, ut omnes Christo lucrifaciant. Apostolicum sudorem suum operariorum sudori misceant; eorum mentes ab errorum tenebris liberent et ad lucem erigant; eorum animos, odio interdum simultateque exulceratos, pacare enitantur divinaque perfundere caritate. Ac nominatim eos luculenter edoceant Catholicam Ecclesiam veracem esse eorum matrem, quae non solum sempiternae saluti consulere exoptat, sed miseram etiam eorum sortem non fallacibus doctrinae commentis, non turbis, non vi, sed iustitia, sed aequitate, sed amica in civium classibus inita concordia, ad meliorem elatioremque statum adducere.

At imprimis opus est eos ad christiana praecepta conformare, ad Religionem rite colendam, ad frequentanda sacramenta, ad optimosque mores privatim, publice redintegrandos adhortari; nam, ut nostis, Evangelii neglecta veritate, eaque posthabita virtute ac vitae forma, ad quam Divinus Redemptor mortales omnes revocavit, labant, vacil-

lant omnia, ac serius ocius miserrime corruunt. Hoc agite igitur nullis parcentes laboribus et inflammato divina caritate animo; medias ingredimini multitudines pacis sequestri, veritatis magistri, pietatis sanctissimaeque Religionis altores. Omnibus in exemplum praelucete, ut facilius vobis, atque adeo Iesu Christo, eorum concilietis animos. Ita enim, superna afflante iuvanteque gratia, fiet ut maiorum vestrorum praeclara et sancta aemulantes gesta, uberiores usque percipiatis salutis fructus.

Verumtamen hoc vobis persuasum atque perspectum esto ob impensiora eiusmodi suscipienda apostolatus opera, quae a vobis etiam nova postulat aetas, neutiquam debilitandum esse, neque funditus immutandum religiosae vitae vestrae institutum; quod potius oportet ita evangelico imbuatur ac conformetur spiritu, ut consentanea omnes paupertate niteatis, suavi simplicitate humilitateque praestetis, utque potissimum austera ex translaticio more vestro contineamini disciplina, quae sacrum tamen non praepediat ministerium, sed expleti officii conscientia supernaque laetitia temperetur; itemque ut seraphica illa erga Deum, erga proximos ardeatis caritate, qua Patriarcha Asisinas per totius suae vitae cursum aestuavit. Hac solummodo servata ratione, et pietatis interiorisque vitae ardore cotidie magis adaucto, externa incepta vestra divinam illam poterunt vim haurire, quae terrenas omnes difficultates evincat ac feliciter exsuperet.

Hoc vobis optamus; ad hoc actuosa voluntate suscipiendum proverendumque paterno vos adhortamur animo, dum necessariam vobis caelestem opem a Deo suppliciter imploramus.

Cuius quidem sit auspex ac conciliatrix Apostolica Benedictio, quam, peculiaris benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, dilecte fili, tum universae franciscalium Capulatorum communitati effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IV mensis Decembris, anno MDCCCCXXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

II

AD EMUM P. D. THEODORUM TIT. SANCTI CHRYSOGONI S. R. E. PRESBYTERUM CARD. INNITZER, ARCHIEPISCOPUM VINDOBONENSEM EUMDEMQUE ADMINISTRATOREM APOSTOLICUM DE BURGENLAND : OB S. STEPHANI VINDOBONAE CATHEDRALE TEMPLUM CULTUI RESTITUTUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Praenobile templum cathedrale, honori Sancti Stephani Vindobonae dicatum, cuius insignita tecta in caelum eminentia, saevissimi belli ictibus percussa, ingentem traxerant ruinam, solicito nunc opere instauratum, in eo iam esse accepimus, ut publico cultui sollemniter restituatur. Quod quidem et sollerti pastori et fideli gregi universo iustissimae sane exstat laetitiae argumentum et faustum quoque omen fovendae in Deum pietatis civilisque ipsius concordiae ac prosperitatis.

Princeps enimvero civitatis templum, totius populi ope et favore e solo excitatum, tot constans a fundamentis ad fastigia lapidibus, columnis et arcubus, tam variis pretiosisque ornamentis labentibus saeculis condecoratum, splendida apparet Ecclesiae figura viventis aedificii, cuius quidem Christus est lapis angularis et membra fideles.

Nonne in sacris augustisque eiusmodi aedibus Deus ipse in tabernaculo altaris absconditus et salutiferae crucis signaculum, quod ubique dominatur, et nitentes arae Deo consecratae, tot memoriae Veteris Novique Testamenti, tot undique vultus angelorum sanctorumque blande prospicientes, sumptuosa principum avorumque monumenta sepulcralia et ipsa umbrarum luminumque discrimina alliciunt hominem poenitentem, vi quadam dulci eaque vehementi, ad sua deflenda peccata, ad imploranda Dei beneficia, ad asperitates mortalis huius vitae emolliendas, ad animum iacentem et afflictum in spem immortalitatis erigendum?

Tum praeterea magnifici aedium apparatus ministrorumque ornatus et maiestas, tum celeberrimae pompae et mysteriorum Dei explanationes et sollemnes variaeque sacrorum rituum caerimoniae, harmonici denique organorum vocumque concentus, quam suavi et intima commotione adstantium corda perfundere solent! Digna sane memoratu sunt verba Aurelii Augustini poenitentis, quae in Confessionum libris leguntur : « Munera tua tibi confiteor, Domine Deus meus, creator omnium et multum potens reformare nostra deformia... Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis et eliquebatur veritas tua in

cor meum et ex ea aestuabat affectus pietatis et currebant lacrymae et bene mihi erat cum eis » (IX, 6).

Perlibenti igitur voluntate sacra sollemnia, quae in cathedrali templo Sancti Stephani proxime peragentur, Nostra commendatione et favore prosequimur. Minime vero dubitamus, quin boni isti fideles, aucto pietatis ardore et veluti viribus animorum renovatis, Domum Dei sint accessuri, eiusque superna gratia refecti ac roborati, in vita domestica et civili divina praecepta fideliter exsecuturi. Quo autem festus dies maiores salutis fructus populo tuo afferre queat, tibi ultro facultatem tribuimus, ut, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Quorum quidem donorum caelestium in auspicium inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, cunctoque clero ac populo tibi concredito amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Decembris, in festo Conceptionis Immaculatae B. M. V., anno MDCCCCXXXXVIII Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

III

AD REVM̃UM D. LAURENTIUM PEROSI, ANTISTITEM URBANUM, QUINQUAGESIMUM ANNUM MAGISTERII CHORI XYSTINI A SUMMO PONTIFICE LEONE XIII EIDEM CREDITI EXPLETURUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Agnovimus perlibenter, te proxime quinquagesimum esse expleturum annum, ex quo Leo XIII immortalis memoriae tibi magisterium insignis Chori Xystini concredere benigne voluit. Haec enim faustitas perquam grata erit quum tibi, tum omnibus, qui eximiam tuam artis musicae peritiam iucunda admiratione prosequuntur. Nota profecto sunt magnifica illa musicorum modorum documenta, quibus ipse, mysteriorum Fidei studiosus atque sagax interpres, cunctos piorum fidelium sensus et affectus, modo vehementi modo blando concentus notarumque modulamine fideliter reddidisti; ita ut melodiarum tuarum auditores non modo ad rerum divinarum contemplationem fortiter excitentur, verum ad impulsus quoque supernae gratiae excipiendos animo suaviter commoveantur. Tibi igitur, Dilecte Fili, de laeta faustitae ex corde gratulamur et felicissima quaeque

ac saluberrima a Deo ominamur. Quorum quidem donorum conciliatrix peculiarisque Nostri amoris testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili, tuisque cantoribus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis Decembris, anno MDCCCCXXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

IV

AD EXCMUM P. D. IOANNEM T. MC NICHOLAS, ARCHIEPISCOPUM CINCINNATENSEM AC PRAESIDEM CONSILII « NATIONAL CATHOLIC WELFARE CONFERENCE » : OB AUXILIUM COMMIGRANTIBUS ALIISQUE MISERIS AB IPSO CONSILIO PROVIDE PRAESTITUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — In fratres caritas, quae ut inter christifideles semper vigeat hortatur Apostolus,[1] in eo potissimum consistit ut, quos Deus nobis terrestris peregrinationis comites dedit, ex animo diligamus, iisdemque indigentibus opem, moerentibus levamen pro viribus praebeamus, post mortale aevum immensi ponderis hereditatem exspectantes, quae solis misericordibus est promissa.

Hac praecelsa virtute vos in exemplum florere tu atque ceteri Sacri Pastores Foederatarum Civitatum Americae tum crebris indiciis, tum rebus praeclare gestis demonstrastis, maxime auxiliari novo ac provido excitato Consilio, cui ipse dignissime praees. Hoc quidem anteeunte, vos ad exsulum afflictis fortunis succurrendum actuosas curas egisse edocti sumus, indeque multum excepimus solatii tot inter sollecitudines et acerbitates, quibus nunc temporis praeter modum affligimur et moeremus. Itaque hasce voluimus vobis scribere Litteras, ut vos de operosa et vigilanti caritate iustis laudibus exornemus et extollamus.

Novistis siquidem quam anxiis cogitationibus et curis Nos eos prosequamur, qui, rebus publicis in patria subversis, aut operis victusque inopia pressi, domesticos linquere lares et ad exteras gentes suas sedes transferre coacti sunt. Quibus ut pateant commigrandi viae, haud minus in humanum genus pietas quam naturae ius ipsum suadet. Rerum enim universarum Creator praecipue in bonum omnium bona omnia condidit : itaque singularum Civitatum dominium, quantumvis verendum, non debet adeo produci, ut, cum copiam multos alendi ubivis prae-

[1] *Hebr.*, XIII, 1.

beat tellus, per haud sufficientes et aequas causas recusetur accessus egenis alibi natis honestisque moribus praeditis, quandoque hoc publicae utilitati, vera libra ponderandae, non officiat.

Consiliorum Nostrorum conscii, vos nuper adnixi estis et naviter effecistis, ut, providi vi decreti, quod alia ampliora subsecutura speramus, haud pauci e patria profugi vestras terras inire possint, itemque commigrantibus, sive cum ii domo proficiscuntur, sive cum istuc adveniunt, apta lectorum hominum opera consulitis, insigniter in rem deducentes illud sacerdotalis benevolentiae praeceptum : « Sacerdotis est nulli nocere, prodesse velle omnibus ».[2]

Admiramur igitur caritatem vestram, quae, caelesti afflatu accensa, passa non est vos supplices hominum miserias et necessitates surdo praeterire auditu, sed evangelici Samaritani more, vos flexit ad opportuna comparanda adiumenta, ubi illatis vulneribus est medendum vel calamitatum allevandae sunt sarcinae.

Praeconium autem, egregiis promeritis partum, eo libentius vobis tribuimus, quod pro certo habemus id vobis incitamento futurum, ut, difficultatibus strenue obluctantes, bene coeptis alacrius insistatis. In id apprime nitimini ut exsules non a suis avulsi, sed cum propriis familiis et profugis sacerdotibus istuc habeant introitum. At recens dirum bellum heu alia quoque conquerenda ac deflenda mala reliquit, quibus medendum haud desidioso auxilio est. Neminem revera latent, ut graviora tantum innuamus, aliquibus in orbis terrarum partibus languentes captivorum turbae, qui adhuc domum redire prohibentur.

Quid dicamus de exulibus tecto et pane carentibus, de focis distractis, de iis denique, haud exiguo quidem numero, quibus, politicae rei causa in custodia detentis, saeva interposita mora, iudicia differuntur?

Quem vero non tangant et moveant, si quid humani in praecordiis foveat, innumera puerorum agmina, qui, parentibus orbati omnique ope et auxilio destituti, lacrimabilem vitam ducunt, eo vel magis miseratione digni quod, innoxii cum sint, alienae iniquitatis poenas luere videntur?

Tot miserorum clamoribus, solamen et adiumentum efflagitantium, aurem praebentes vos iterum atque iterum hortamur, ut in regali caritatis via non fatigati, ad haec quoque mala sananda, vel saltem mitiganda, studium operamque conferatis. Confidimus autem fore ut, exemplo vestro commoti aliarum quoque nationum sacri pastores, sacerdotes et fideles, vocis Nostrae anxiis iteratis monitis obsecuti, tot gemitibus

[2] S. Ambrosius, *De Officiis Ministrorum*, lib. III, c. IX.

et calamitatibus fratrum et domesticorum fidei obveniant et hac quoque in re evangelicae legis magno cum promeritorum cumulo effectores se praebeant. In vestibulo et propinquitate Anni Sacri, quem cum gaudio celebrabimus, sit ob oculos omnium, ad caritatem exstimulandam, illud quod in oppido Nazareth in Se impletum Christus asseruit, et ad quod Secum perficiendum, nunc quoque temporis, socordes hominum voluntates compellit: « Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum, demittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis ».[3]

Sternant igitur iter ad solidam verique nominis pacem iam nunc invidiae restinctio, veniae largitio, misericordiae copia. Hoc singulis, qui bene faciunt, haud minus utile erit, quam iis qui beneficium recipiunt: « Petitur a te, et petis: quod egeris cum petitore tuo, aget hoc Deus tecum. Et plenus et inanis es: imple inanem de plenitudine tua, ut de plenitudine Dei impleatur inanitas tua ».[4]

Ex animo exoptantes, ut Natalis Domini festum dulcia vobis afferat gaudia, quae egregie a vobis acta praemio efficiant ac propensos vos reddant ad nova caritatis incepta et opera, a coelesti Infante tibi et in Episcopatu conlegis istic vestrisque gregibus supernorum munerum largitatem adprecamur, in horumque pignus Apostolicam Benedictionem perlibenter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Decembris, anno MDCCCCXXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

V

AD EM̃UM P. D. CLEMENTEM, EPISCOPUM VELITERNUM, S. R. E. CARDINALEM MICARA, CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM PRAEFECTUM, QUEM LEGATUM MITTIT AD CONVENTUM EUCHARISTICUM BOLIVARIANUM IN URBE « CALI » COLUMBIANAE REIPUBLICAE CELEBRANDUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Praeclara in urbe Caliensi, intra fines amoenae vallis Caucanae sita, non minus agrorum cultura operumque industria, quam religionis studio pro-

[3] Luc. IV, 18-19.

[4] S. Augustinus, *Sermo in Psalmum LIII*, 5.

batae, exeunte hoc Ianuario mense, uti libentes plane excepimus, Congressus Eucharisticus Bolivarianus sollemniter peragetur, quo sacrorum Antistites, sacerdotes bonique fideles convenient non modo ex tota Columbia, sed e finitimis quoque nationibus Venetiolana, Peruviana, Aequatoriensi, Boliviana et Panamensi.

Hisce profecto sacris coetibus ritibusque in honorem augusti Sacramenti indictis, non solum memores istae gentes debitas gratias divino persolvent Redemptori, qui « de tenebris » eas « vocavit in admirabile lumen suum » (I. Petr. II, 9), verum etiam fides pietasque publica haud parvum accipiet incrementum populorumque mores ad bonam christianamque frugem fortiter suaviterque excitabuntur. Nullum sane validius auxilium ad animas quam plurimas Deo quaerendas, ad sopita corda in amorem supernorum bonorum exacuenda, quam hoc divinae caritatis Sacramentum, quod merito omnibus est laudibus honoribusque extollendum, cuiusque cultus summa cura industriaque amplificandus. Quare suscepta iam pridem consilia grandesque apparatus merita commendatione honestamus omnesque probos fideles impense exhortamur, ut studium operamque suam Conventui ineundo alacriter conferant. Quo autem praesentia Nostra huic celebrationi manifestior appareat, te, Venerabilis Frater Noster, qui, Romana purpura refulgens, Sacro Consilio Religionis ritibus praeposito moderaris, Legatum Nostrum a Latere eligimus ac renuntiamus, ut Congressui Eucharistico in Caliensi urbe proxime habendo nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas. Certa autem Nos tenet spes, perhonorificum te munus, pro flagranti erga sanctissimam Eucharistiam pietate ceterarumque virtutum nitore, industrie salubriterque esse obiturum. Cuius quidem secundi exitus in auspicium inque praecipuae dilectionis Nostrae testimonium, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater Noster, atque vigili solertique Episcopo Caliensi ceterisque sacrorum Antistitibus itemque civilibus Magistratibus cunctisque fidelibus celebritati adfuturis peramenter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VI mensis Ianuarii, in Epiphania Domini, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

Die 16 mensis Februarii a. 1949, nobilissimis verbis, quibus Excmus Vir Carolus Arango Vélez, Columbiae Orator extra ordinem, nomine etiam Legatorum praesentium ceterarum Nationum Beatissimo Patri communis moeroris sensus devote expressit, ob iniquam sententiam in Emum P. D. Cardinalem Iosephum Mindszenty prolatam, Sanctitas Sua haec affatim respondit.

Monsieur l'Ambassadeur,

